Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken


Brema

Braun, Georg

[Köln], [1598?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-315693

Visual Library



Farbkarte #13 B.I.G.
Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue
Centimetres Inches
Landesbibliothek Oldenburg

B15 305

BREMA.

BREMA, ad Visurgum flumen vrbs Hanseatici fœderis eleg&s, opere, arte, & naturali situ valde munita Francisco Irenico, nescio, quo indicio, Ptolomæi Fabiramum, Ex amplissima negotiatura, & remotissima nauigatione opes acquirit, Vnde ciues penè oēs, vel negotiatores, vel opifices, & multi nauium architecti peritissimi, sunt natura bellicosi, industrii, & aliquantulum ad seditionem propensi, quod variis retro sæculis actionibus, tum ea etiam nuper probarunt, ob quam Dithmarus Kenckelius Consul Bremensis, vir eleganter doctus, ch Senatoribus aliquot vrbe cessit, & peculiari libello, Anno M.D.LXV. Vrielis edito, ipsemet testatur Literarum studia, artesq; liberales tum primum amant & promouent, quādo earum venustate apud exteros polluntur, Minus alioqui in studia, & studiosos propensi, mercaturam libentius exercent. Vicos habet & plateas eleganti ædium serie bene dispositas. Forum amplum, in quo hebdomatim rerum victui necessariarum frequentes sunt nundinæ. In medio, Imperatoria & Regalis erecta est statua, strictum iustitiæ gladium manu tenens, Vnum fori latus Metropolitana Ecclesia respicit, Alterum Senatoria domus condecorat, fundamentum habens pretiosum ac gratum, Cellam nimirum vinariam ac publicam, in qua, sub Præfecti gubernatione Senatus, vinum, tolerabili pretio, & decenti elegantiq; œconomica ratione propinat, Quæ communis est multarum VVandalicarum & VVestphalicarum vrbium consuetudo, vt ad publica ferenda onera, vini propina penes Senatum maneat. Potus alioqui vulgaris, aqua est cocta, quam cereusiam nuncupant, Quarum fere tam multa diuersa genera commemorantur, quot in hac Saxonia & VVestphalia vrbes existunt. Et inter has, Bremensis, non vltimam laudem meretur, quam non modo domi affatim & largiter bibunt, sed procul etiam foras emittunt. Non nimis carè hic viuitur, carnibus quippe & piscibus Bremenses abundant, soli situsq; beneficio id habent, pascuis enim & maris, fluminisq; piscosi vicinitate gaudent, Anguillas, murenas, Salmones ita sale condire, & infumare norunt, vt magno cum lucro ciuium, vbiq; cari grati sint & pretiosi. Superioribus annis, sub Sixto Quinto, quando Vandalicæ naues, magnam caritatem annonæ frumentorum aduectione in Italia aliquantulum leuabant. Has Bremenses piscium & Cereusiæ delitias, Florentiæ & Romæ, non sine admiratione vidimus, quando istis muneribus Magnum Etruriæ Ducem, & Illustres Italiæ viros, Illustris & Generosus Dominus, D. Henricus Ranzouius, Danicorum Ducatuum Gubernator heroicè & liberaliter donabat.

BREMA, ignobilis primùm vicus fuit, crescente verò religione Christiana vires & incrementa sumere cœpit, quæ Episcopis suis potissimum debet, à quibus Metropolitica dignitate illustrata. Ecclesia Aquilonarium omnium Matrice condecorata, & murorum ambitu cincta fuit. Horum prima fundamenta posuit Libentius Episcopus, ob Slauorum sæuitiam, qui deficientes à fide, per totam Nordalbingiam & Slauoniam, Hamburgi, & vicinis passim in locis euersis Ecclesiis, in Christianos, & Ecclesiasticos viros, immani crudelitate sæuierunt. Hoc verò Libentii instituto de Brema munienda, aliusloci Episcopus Hermannus, circa annum Christi M.XXXV. perficere voluit, qui iactis fundamentis, cum operis exordio vitam finiuit. Eius deinde successor Bezelinus murum ciuitatis Bremensis à prædecessore suo orsum, in gyro construens, aliquibus in locis eum vsq; ad propugnacula erexit, aliisq; quinq; aut septem cubitorum altitudine, imperfectum dimisit. Cui etiam ab occasu porta grandis inhæsit, superq; portam fere missima turris, Italico munita opere, & septem ornata cameris, ad aduersam opidi necessitatem Anno Bezelini vltimo, quando iam Bremensis Ecclesia, à primo fundationis tempore annis fere CCLXX. floruerat, tota cū vniuersa vrbe, & auita canonicorum pietate exusta fuit, nam post tam graue incendium, canonicam & regularem vnius dormitorii & communis mensæ vitam deserentes, ad priuatam licentiam deflexerunt. Albertus Archiepiscopus Anno M.LXII. videns exustam Bremensem Basilicam in restauratione maximas exigere vires, murum ciuitatis à præd cessoribus suis orsum, destrui fecit, & lapides ad Ecclesiæ cōstructionem adhibuit, Tunc etiam turris speciosa, quæ septem cameris ornata fuerat, funditus diruta est. Vnde quidem apparet, Episcopos, iusoinne & imperium in hanc vrbem habuisse. In quam paternum affectum multis eam priuatis & publicis ædificiis, & priuilegiis ornando, diuersis temporibus ostenderunt: fundatione Metropolitanæ Ecclesiæ, claustralium ædium, & præsertim Hospitalis erectione. Ansgarius namque primus Hospitalis Bremensis fundator fuit, cuius dotationem S. Reimbertus Ansgarii successor, plurimùm auxit. Adaldagus ad eandem Hospitalis fundationem tantum adiecit, vt præter hospites, qui frequenter ibi suscipiebantur, quotidiè in eodem XXIIII. pauperes pascerentur.

Ex Bremensi hac vrbe sacræ Euangelicæ Coloniæ non tantum in loca vicinà sed & in Aquilonaria regna, Prouincias, & longè dissitas insulas, imò, in ipsam vsque Islandiam propagatæ, & multorum annorum decursu, cōseruatæ fuerunt: Nam Vuillehadus primus Bremensium Episcopus, matrimonio, & Boreales Saxoniæ partes, & Transalbianos populos, per lauacrum regenerationis, ad fidei Christianæ puritatem perduxit, & multa infidelium millia baptizauit, eoq; nomine, à barbara & fera gente varias afflictiones & persequutiones sustinuit, Cuius sanctis vestigiis eius successor Vuillericus inhærens, magnam & religiosam hæreditatē Ecclesiæ Bremensi acquisiuit. Huius deinde successor Anfgarius, ex Bremensi resident a, tunc nondum murorum ambitu clausa, nunc Danos, nunc Transalbianos visitans, innumerabilem vtriusq; gentis multitudinem, diuina præsente gratia, traxit ad fidem Christi: Regē etiam Daciæ baptizauit, & Ecclesiam in Sleswic construxit primam. Deinde Ripensem Ecclesiam fundauit, & data licētia à Rege baptizato, vt quisquis vellet in regno suo, Christianus fieret, infinita gentium multitudo statim per ministerium sancti Ansgarii credidit Christo, de quibus hoc memoriale in libris relictum est, quia plures, quim aqua baptismatis loti sunt, ab omni corporis infirmitate statim liberati, Domino Iesu Christo gratias referebāt. Post hæc, Regē Sveciæ cum suo populo baptizauit. Hic autem Ansgarius Archiepiscopus Hamburgēsis & Metropolitanus omnium regionum Aquilonarium, vnionem Hamburgensis & Bremensis Ecclesiæ procurauit, & illam XVI. hanc XVII. annis administrauit. Vnde deinde Bremensis Antistes, Religione in Episcopatu suo constituta, Euangelicam visitationem ad Danos vsque perduxit. Heroldum Regem baptizauit cum Danorum multitudine, cuius adiutorio, omnes Danorum insulas circumibat, verbum Dei annuncians. Deinde in Sueoniam venit, & inuenit ibi, quos S. Ansgarius baptizauerat, ad Paganismum relapsos, quos ad fidem Christi reduxit. Tandem non sine maximo labore, ad Birkam Gotorum oppidum, in medio Sveoniæ positum, peruenit, quò iam post obitum S. Ansgarii anno LXX. nemo doctorum ausus erat pertingere, præter solum Reimbertum. Onvvanus Bremensis Antistes, domi forisq; clarus Canutū Danorum Regem Slauorum satrapas, Nordmannorum Regem, in vera Religione confirmauit, & sanctas Episcoporum legationes ad has gentes destinauit. Consimili pietatis zelo Bezelinus doctrinæ Euangelicæ ordinauit Episcopos, quos in Schleswigh, in Sclauaniā, & Ripam, pro Christianitate augenda, transmisit. Simile Alberti & Adalberti Archiepiscoporum Bremensium studium fuit, qui per Daniam, Nordmanniam, Suediam, verbi diuini ministros destinarunt, Virginalium, & Scriptingorum genrem Christo sunt lucrati.

Hæc ex Saxone Grammatico: Ex Vvandalia & Metropoli Cranzii, Ex Historia Ecclesiastica M. Adami, ex serie Archiepiscoporum Bremensium, Qui libri posteriores duo ex Ranzouiana Bibliotheca nuper prodierūt, & ex Arngrimo Iona Islando excerpsimus.

ALBERS 304
Kocken 172

Landesbibliothek Oldenburg